



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qualitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

299. An filii hæreticorum, eorúmque fautores sint infames, & vel hinc etiam ad eligendum activè aliósque actus legitimos sint inhabiles.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

Garc. loc. cit. n. 74. Pass. n. 90. dum enim jura loquuntur dicto modo universaliter: ad nullum beneficium admittantur; quibuscumque beneficiis priventur; beneficium accipitur latè. Gl. & Gemin. inc. 2. de heret. in 6to. sublata autem acceptione beneficii venit pensio. Gigas loc. cit. q. 28. uti etiam, dum ita generaliter de beneficiis loquuntur. Felin. in c. postulasti. de rescrip. n. 8. Rebuff. de pacificis possess. n. 114. Gigas q. 26. n. 11. Adeoque hic dum verba sunt universalia, & de mente legislatoris latè intelligenda, non tenet regula illa: in materia poenali maximè ob alienum delictum, verba sunt strictissime accipienda. Pass. loc. cit.

2. Secundò ut comprehendatur quoque permutatio beneficiorum, ita ut beneficium ante obtentum, dein post patris crimen permutare dicti filii nequeant, adeoque si id facerent, beneficium proprium amitterent, utpote quod cederet alteri, cum quo permutare volunt (valet enim ex illius parte permutatio) & aliud non acquirerent, cum absolute sint incapaces obtinendi beneficium. Sanch. loc. cit. n. 33. Pass. loc. cit.

3. Tertio: ut nomine officiorum publicorum etiam veniant officia civilia spectantia ad secularia (potest enim Ecclesia secularia, ubi hi ejus præceptis non obediunt, punire, reddendo inhabiles, etiam ad officia secularia. Gemin. in c. 2. de heret. in 6to.) ut iudicis, consulis, rectoris civitatum aliorumque locorum quocumque nomine vocentur, Cancellarii, Advocati, Procuratoris Thesaurarii, aliorumque similium, qui nomine publico officium exercent, de quo vide Dian. p. 4. tr. 8. resol. 73. Item consiliiarii in Congregationibus, & Concilio publico, in quo negotia publica tractantur, Suar. de fide. d. 24. s. ult. n. 6. Pass. loc. cit. n. 92. Item juxta Carenam p. 2. tit. de heret. num. 145. Comitibus, Marchionibus similiumve dignitatum; unde & juxta illum & Parladorum, si hæc annexa sint majoratui, non potest in eo filius Catholicus succedere patri hæretico.

4. Ac denique nomine officii publici venire munus eligendi; eò quòd eligere ad publica officia majus sit, quàm exercere munus consiliiarii, & eligere ad Prælaturas Ecclesiasticas sit officii publici, utpote conveniens ex jure publico, ex munere commissio à Papa, vel à communitate ad publicum finem, docet Pass. n. 93.

*Questio 299. An filii hæreticorum eorumdemque fautorum sint infames, & vel hinc etiam ad eligendum activè, aliisque actus legitimos sint inhabiles?*

**R**espondeo: negativè. Suar. de Cens. d. 46. s. 3. n. 2. Sanch. in decal. l. 2. c. 28. n. 5. Sayr. de Cens. l. 6. c. 10. n. 40. Menoch. vol. 9. conf. 808. num. 44. Sigism. à Bon. de elect. d. 80. nu. 1. Pass. n. 95. contra Molin. d. 658. num. 202. Covar l. 2. var. resol. c. 8. n. 1. &c. in jure enim Canonico nullibi lata est poena infamiae contra hujusmodi filios. Licet autem inhabilitas ad beneficia & officia publica sit veluti quædam irregularitas (dico quasi quædam irregularitas; nam neque irregularitas propriè dicta in jure directè infertur contra tales filios, & inhabilitas eorum quoad Ordines non est ratione sanctitatis illorum, sed ut hi sunt officia publica, adeoque non propriè dicta irregularitas. Pass. n. 97. citans & concilians Suar. Sanch. Valent. Majol tenentes tales filios esse irregulares cum Tolet. Sayr.

& aliis, id negantibus) non autem infamia, ad quam etiam ab irregularitate (utpote quæ plures diversosque quàm irregularitas parit effectus) non tenet consequentia. Pass. n. 96.

*Questio 300. Specialiter de regularibus, num hi in officio poenitentiali, hoc est ob delictum ad inquisitionis officium pertinens, poenitentia aliqua affecti, etiam post peractam poenitentiam, & postquam in gratiam recepti, inhabiles sint ad Prælaturas Ecclesiasticas & officia religionis suæ, nisi cum eis dispenset Pontifex?*

**R**espondeo affirmativè: si poenitentia non fuerint tantum salutare (quales dicuntur, quæ solum extrajudicialiter imponuntur, & privatim complentur, ut jejunia, cilicia, orationes. Tambur. de jure Abb. d. 5. q. 21. & quales adhuc censentur, etiam extrajudicialiter jussu inquisitionis à Prælatibus regularibus imponantur, & aliàs in religione poenitentia salutaribus habentur. Pass. n. 99.) idque ob decretum Urbani VIII. editum in Congreg. S. officii 1. Octobris anno 1626. de quo vide Tambur. & Pass. ll. cit. Porro licet abjuratio hæreticis secundum substantiam non sit poena, sed potius actus & confessio fidei, ratione tamen solennitatis, quam habet ex jure positivo, ut fiat coram iudice, Notario, testibus, cum juramento & obligatione & poenis relapsorum in hæresim post jam ejuratam, est poena gravis judicialis, diversæ rationis, quàm sint poenæ salutare. Pass. nu. 100. citans Pennam, Canteram, Donat. &c. adeoque talem ad ejurandam taliter hæresim damnatum, etiam de levi reddit ineligibilem. Dian. p. 2. tr. 8. resol. 64. Pass. num. 101. Donat. p. 3. tr. 5. q. 23. &c. contra Peyr in pral. q. 2. c. 5. n. 92. Rodriq. to. 2. q. 82. n. 2. Excipiuntur tamen suspecti tantum de hæresi sponte comparentes, abjurantes, etiam de vehementi; eò quòd non indicatur ista abjuratio illis tanquam poena, nec fiat cum ista solennitate, quæ fit post condemnationem reorum denunciatorum, de quo vide Pass. n. 102.

*Questio 301. Num Schismaticus (qualis dicitur, qui voluntariè & pertinaciter subtrahit se & separat ab obedientia universalis Ecclesie, vel summi Pontificis S. Tb. 2. 2. q. 39. a. 1.) purus (hoc est, non simul infectus hæresi) independenter ab eo quòd sit excommunicatus per Bullam cænæ, vel etiã irregularis (quamvis schismaticum vi schismatis esse irregularem, eò quòd hæc poena nullibi expressa in jure, rectius negent. Suar. de cens. d. 43. l. 2. n. 7. Sanch. in decal. l. 2. c. 36. n. 18. Sayr. apud Pass. n. 105. contra alios cit. à Sanch.) sit inhabilis ad omnia beneficia Ecclesiastica?*

**R**espondeo affirmativè. c. quia diligentia. de elect. Host. Imol. Barb. ibid. Sanch. & Suar. ll. cit. Majol. de irregul. l. 5. c. 46. Pass. num. 103. citans quamplures alios. Uti etiam Episcopus schismaticus inhabilis est ad conferenda beneficia, & talis collatio ipso jure nulla, & universaliter gesta per talem nullam sunt, cit. c. quia diligent. vide Pass. loc. cit. Porro in hac irregularitate solus Papa dispensare potest, si schisma non est occultum. cit. c. quia